

# Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 41

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Chuonradus divina praeveniente clementia serenissimus iugiter rex. Quicquid ad loca sanctorum compendiorum conferre curavimus, ut servitium dei agatur et regula sancti Benedicti diligenter cum omni studio sine dilatione, ut dignum est, observetur, non solum apud deum praemium promereri, verum etiam successores nostros credimus post nos feliciter esse ob hoc regnatos. Quapropter noverit omnium nostrorum fidelium industria tam praesentium quam et futurorum, quomodo quidam abbas Adelelmus nomine cum sua congregatione ex monasterio sancti Petri principis apostolorum et aliorum sanctorum multorum, quorum pretiosa gleba inibi continetur, nostram adierunt celsitudinem vice proclamationis dicentes res monasterii valde attenuatas esse. Et non solum servitium referebant ibi, prout ..... necessitas ...., esse pene destitutum, sed etiam victimum vel vestitum nusquam de utilitate monasterii fatebantur se habere. Inde scilicet obnixe praedictus abbas Adelelmus cum suis monachis flagitatus est nostram serenitatem, quatenus praenominato monasterio sancti Petri, quod est constructum extra muros Viennae, loca dedicata in heremo, quae dicuntur apud vulgus sanctae Mariae et sancti Iuliani, et caeteras villas ad ipsum pertinentes, quae vocantur Thorniacum cum ecclesia, Corbianum, Hydricum, Pysiaccum cum capella, in Calone unum mansum et in Missiaco ecclesiam cum omnibus appendiciis suis, in Montaniano unum mansum, in Faramanno tres mansos, in Curtiano unum mansum, in Bricon unum mansum, concederemus ob mercedem et ob remedium animae nostrae et immunes de praelibato heremo Silviaco faceremus; quod et ita fecimus. Et deo donante inantea emeliorare volumus, ut a die ista et deinceps ille abbas et successores eius, hoc est ipsius monasterii rectores, securitatem habeant ac mundiburdium ea ratione, ut nullo modo deinceps licentiam habeant ferias inde praestare neque comes neque episcopus de istis locis neque missus inde exigere aut parafredum aut porcum vel frischingam, sed haec omnia, sicuti concedimus, inconvulta permaneant, hoc est in agris pratis mancipiis silvis pascuis aquis aquarumve decursibus exitibus et redditibus cultis et incultis mobilibus et immobilibus et in omnibus appendiciis. Haec omnia nominata concedimus sancto Petro ac servitoribus eius volumusque delegata esse. Ac ne, quod absit, ullus unquam incredulus huic concessioni nostrae appareat, propria manu firmavimus et impressione sigilli nostri roborare iussimus.

Signum Chuonradi serenissimi regis.

Ego Gerardus notarius advicem Heinrici cancellarii recognovi.

Data Cal. Ianuarii, inductione X, Viennae publice, anno XXX domni nostri

Chuonradi piissimi regis; in Christi nomine amen.